Theologia polemica

Paulus Cachinnius Vratisl. Petro Ricinio Cracov. pro Ioanne Hesso.

Vratisl. ap. Casp. Lybisch. 1524.

PAVLVS CACHINNIVS VRATISLAVIAensis, Petro Risinio Cracouiensi pro Ioanne Hesso, Parocho suo.



Qui tibi Risini nomē prior indidit autor
Ille erat antiquis verior hariolis.
Materiam risus cūctis Risinnius offers.
Quin & ridiculū totus habere caput.

CHRISTIANO LECTORI

QVis nõ videt optĩe lector hac tē-
peſtate in eum locũ rem deductã
eſſe, vt obſcuriſſimus quiſq; ſcri-
bendi inceſſandiq; bonos, ac ve
rę pietatis adſertores, ius ſibi ſumere aude
at. Vel iſte quiſquis eſt Riſinius, nõne plus
audacię & impudentię videtur habere, quã
cordis & ingenij, qui hijs diebus Cracouię
libellum quendam reclamante Lucina pepe
rit, quo Ioannis Heſſi Vratiſlauienſis pa-
rochi axiomata, ad vigeſimũ diem menſis
Aprilis, publice ab eo iudicanda publico
in theatro conſpectuq; Chriſtianorum pro-
poſita, & pro veris, ſatis ſuperq; confirma-
ta, confutare eſt aggreſſus. Ob cuius homũ
tionis ſuperbam inſultationem, et inſolen-
tem ſpiritũ, quem ex imperitia ſua traxit,
cum non perinde commotus fuerit Heſſus,
vt eum ſatis eſſe ſibi putarit cui reſpõderet,
ĩdignãtibus bonis ac pijs pariter omnibus,
hominem ego mihi multorum hortatu velut
prædę datũ arripui, ne hic gratuito tam cõ
tumelioſe ac prope minimo prouocãs, quē-
uis ad pugnam euocare adſueſcat, neue illi
ſibi criſtas fingant, quorũ fortaſſis auſpi-
cio & ductu hic ſycophanta ſubornatus eſt.
Nam ſi cõiecturã facere licet, ſuſpicor equi-
dem multorũ impiorum ſordes in hanc vnã

quaſi

quasi sentinam cōfluxisse. Occurremus igitur nos ꝓ Hesso nostro modis om̄ibus digno viro, qui placido in ocio ab istorū sycophantarū altercationibus immunis et exors solum verbi prȩconiū exerceat. Faciemus nos huic glorioso militi copiam pugnandi, quam nimis ambitiose petiuit. Curabimus quoq; libellum eius, typis denuo excudi, ne se hostiliter a nobis circūuentū postea queri possit. Negabimusq; in nobis locū laudato illo ꝓuerbio, Dolus an virtus q̄s in hoste requirat? Quātis vero armis & machinis, quantoq; virium subsidio hic Enceladus sese intulerit, nonne cordate lector risum potius excitauit quam terrorem incussit? Nā miser homo quantulum tamen e scripturis adducit? quam humilia, ieiuna, & cōcerpta proponit, quam deniq; protrita vibrat argumenta, ut quȩ plus milies iam in aciē educta triumphataq; fuerint: Extorquebimus iā illi sua tela, vt si paucissimis, que temere arripuerat, armatus aduenerit, nullis a nobis stipatus abeat, Exigui enim negotij nobis erit ostendere, ea scripturæ argumenta, quā tumuis pauca obiecerit, minime cum illo facere, eumq; omnibus scripturȩ armis viduatum esse, nihil præter vnum quendam plūbeum pugionem traditionum humanaꝝ relictum habere. Sin autem ille pro victo cede

A ij re

re nolēs tergiuersari, & rebellionē parare nō desiuerit, ac maledicēdo & hęreseos damnā do (que vnica facultas ei est) perrexerit, sic cōtra accipiemus hōinē, vt se ex virtutibus suis ornatum a nobis fateatur. Qua quidē re nihil veremur gētis nos odia incursuros, aut bonis in Sarmatia viris secus ac decet, placituros. Vix enim multos esse reor, qui hūc extremi nominis Risiniū cum frigido suo ac misero libello probauere, quiqꝫ turpis causse actorem non longius a sese repulere. Nunc igitur signa conferamus, & ad subsidiarios milites, & plane triarios venia mus nempe scripturas, quibus ille Hessum non iā aggreditur, sed superat & prosternit, id num ita fuerit, tu lector cognosce. Audi te nūc primū Risinium nr̄m.

DE VERBO DEI.

1 Negamus autem nos verbū dei vel inteligi posse absqꝫ spiritu sācto, a quo tot mysteria manant, vel debere passim a quibuslibet ex
2 pendi, cum Christus parabolas suas seorsū discipulis exposuerit, & non omnibus nota
3 esse mysteria regni cœlestis uoluerit. Nega mus item verbum dei lenocinari debere insolencię ac libidi alicuius, & libertate chr̄iana, vt apostolus ait, occasionem dari car
4 ni, vt eius p̄textu liceret nulli subesse, non p̄cari, non ieiunare, non confiteri, contem
5 nere censuras, non soluere decimas & cēsus

ecclesiasticos, aliaq; vulgi suauissima delini
menta, que nusquam sunt in euangelio. Sūt 6
autem manifestissime, obediendum p̄fectis
legis diuinę, etiam improbis, precandum &
ieiunandum, exhibendos leprosos sacerdo- 7
tibus, claudi cœlum a sacerdotibus alijs, eti 8
am si ipsi nō ingrediātur, soluenda quę Cę 9
saris sūt Cęsari, quę dei deo, decimasq; nō
omittendas. Quādoquidē quicquid de pau 10
pertate dictum est a Christo, dictū est ad
animum & spiritū, qualem habuit Rex Da-
uid cū se pauperē & egenū diceret, & dictū
in cōmune Christianis oībus, ac magis qui-
dem alijs quam apostolis, vt q̄bus posthac
sub pedes bona omniū proiciebant, & illi ea
arbitratu suo dispēsabāt. Obijcies hic, quę
uestra est cantilena, luxum & abusum sacer
dotū, quasi hoc pacto tuta esset cuiusq̄ pos-
sessio, etiam Cæsaris, si cū opibus abutere-
tur quispiā, auferi illi census suus deberet,
aut quasi iam nemo sit qui bonis suis bene
utatur. Sed libet uersare te paululum. Ain 11
uerbum dei ita per se purum & sufficiens, ut
hominū decretis nō deberet impurari, qua-
si decreta ecclesiæ illud impurarēt, dic mi-
hi, an impurare est interpretari? vel an ad-
dere, est in verbo dei, tanq̄ in base & funda
mento ea construere, quæ pro re & tempore
ordo ecclesię requirit? an nō inculcauit ipse

Christus hæc omnia, quæ continet euange-
lium, & plura apostolis, quæ tamen tunc ca-
pere nō potuerūt, & quæ illos minime con-
firmarūt, ut post passionē apparuit, nisi spi-
ritus sanctus eos ipse cōfirmasset? suggessis-
setq; & docuisset eos oīa, quæ dixerit illis
Iesus? vnde constaret magistrū esse perpe-
tuum ecclesiæ spiritum sanctum, per quem
uerbū dei debite capi, elucidari, expendiq;
deberet, Nam cum iubeat Christus, euel-
lere oculū, manusq; & pedes scandalisantes
amputare, quo breui tempore & Argum ex-
oculatū, & centimanū mancum esse oporte-
12 ret, Cum pręterea iuberet odio habendum
patrem, & matrem, fratresq;, & deniq; ani-
mā suam, cōtra preceptū de honorādis pa-
rentibus & diligendo proximo, nedū fratre.
Cum itē iubeat vt nesciat sinistra, quæ faci
at dextera in danda eleemosyna, & orandū
secreto in cubiculo, ornandūq; ieiunando,
& p̄cipiat ediuerso lucere debere lucem suo-
rum corā hominibus, vt videantur opera il-
13 lorum bona. Cū deniq; iubeat præstari alte
ram maxillam percutienti, quod nec ipse a-
pud Annā seruauit, aliaq; eiusmodi sexcen-
14 ta, an hic nō interpretandū erit verbū dei?
nō addendū erit aliquid? si erit necessario,
cui id iuris facies? Luthero potius fanati-
co, aut stratiotico Hutteno, vel ti coaposto-
lo

lo ipsorum, potius q̄ Hieronymo, Augusti no, Ambrosio, Gregorio, alijsq̄ ex tot mi-libus, sanctissimis doctoribus? & si statutis 15 humanis, ad verbum dei, non ē necessariū, cur apostoli toties conueniebāt, & dispicie-bant de negotijs interuenientibus? statue-bantq̄ id quod pro re, & t̄pe oportunū vide batur? vt de circūcisione, de vsu suffocati, & alijs id genus? scilicet quod euāgeliū sit, vt inq̄t Cyprianus, solū fūdamentū fidei, in quo reliqua ex vsu ecclesiæ per proceres eius superstrui, āpliari, & ipsum verbum dei dilucidari debeat, Q ñdoquidem idipsum 16 verbū & euangeliū neq̄ cognosci neq̄ suā fi dē hēre posset, ni auctās eccl'ię id totū p̄sta-ret. Sed q̄d ego hec cū Myda? venio ad alia Hęc Risinius. Audiamus nūc Cachiniū.

Principio negat verbum dei vel intelligi 1 posse absq̄ spiritu sancto, in quo mecū sen-tit, Ip̄e vero postea huius verę sentencię ob-litus, de scripturis ita hallucinatur, vt re-motissimus absit a scholis spiritus dei, miser rhetorculus, mox enim addit, Q uia Chri- 2 stus parabolas suas seorsim discipulis expo-suerit, & non oībus nota esse mysteria reg-ni cœlestis voluerit, non licere igitur passim a quibuslibet expendi verbū dei, Hoc argu mentū, quam cōstet sibi, quā vrgeat chare lector tu cogita. Christus Marci. 14. inquit

Que

Quę vobis dico, omnibus dico. Manet eñ verbum suum in ęternum, quia verbũ Dñi Dei nostri. Et Matth. xi. Quę dico vobis in tenebris, dicite in luce, Et quod in aurem auditis, pręedicate in tectis, Vultq; Euangelium prędicari omni creaturę. Non sum ego beneficio optimi dei tam crasse minerue vt non intelligam quid istis technis struat. At pudet me tantę ignorancię, neq; sane stulto vt iuxta suam stultitiam respondeam, semp; vacat. Tu igitur lector arripe & meas partes ac Risinium admoneto quo spiritum Dei scripturarũ magistrũ esse paciat, CHRISTVM etiam CHRISTVM inquam ipsũ, discipulis suis mysteria regni cœlestis reuelare permittat, Nemo enim nouit filiũ nisi pater, neq; patrem quisquam nouit, ni filius, & cuicumq; voluerit filius reuelare Math. xi. Sinat etiam discipulos Christi, id est credentes & pios esse doctos a Deo, sicut scriptum est in prophetis, Et erũt omnes docti a Deo. Io. vj. Patiatur nos e fõtibus lympidis & puris haurire scripturas, non fodiat nobis lacunas & cisternas doctrinarum humanarum, neq; stercore humaõ nos cibet, nauseat anima nostra ad cibum istum. Ad hec negat, libertate Christiana occasionem dari carni, perinde atq; Hessus illud prestiterit vnquam. Immo libertatē

spiritus

ſpiritus aduerſus carnē ſemꝑ aſſerit, &quo/
ad fieri poteſt cōſtanter vindicat. Iā vero 4
quę ſequuntur nōne illas phariſei voces ex/
amuſſim referunt? Luc. 18. Deus gracias
ago tibi, quod non ſum ſicut cęteri hoīes, ie/
iuno bis in ſabbato, decimas do omniū quę
poſſideo. Vult eī vt precemur, ieiunemus
cōfiteamur & cętera, ſuo potiſſimū exemplo
ꝓuocati, Somniatq; populū Vratiſlauiēſem
(cuius Heſſum eccleſiaſten appellat gręco
vocabulo, quantumuis græca appellatione,
axiomata ab eo propoſita fuiſſe egreferat)
tam impium & a deo alienum, vt iam pla/
ne illud audire mereatur, velut etiā hic pub/
licanus. Cum tamen nullo non die clamet,
Deus propitius eſto mihi peccatori. Atq;
iuſtitiam dei, quę eſt ex fide in Chriſtum,
nō ex operum fidutia expectet. Vt decimę 5
& cenſus ſoluanł congruum homini illi ap/
paret. Heſſus vero etiā in fine diſſertatiōis
ꝓpoſitorum axiomatum, frequentiſſima po/
puli multitudine, idem vt fieret monuit, &
quod cuiq; debeatur reddi iuſſit, Ideo non
dubito iſtum phariſeū mitius Heſſum trac/
taturum, vbi hoc cognorit, & inter ſuos de
eo predicarit. Nam hoc eſt, quod ipſe cum
ſui ſimilibus vnice timet, Ne quid videlicet
ventri deo ſuo decedat. Vult aliquos eſſe le/ 6
gis diuinę prefectos, illiſq; obediendum, e/

etiā ſi ſint improbi, idq; in euāgelio reꝑiri:
Vix me cōtineo quin iſtū Gryſiniū ꝑ me-
ritis accipiā ſuis. De prefectis gladij plena
eſt ſcriptura, De prefectis vero legis diuinę
vt Riſinius vocat, vnica diui Pauli ſentētia
ſatis ſit. Sic nos ęſtimet homo vt miniſtros
Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.
Poſſem multa proferre, ſed expectandum e-
rit, quo ſerius ſuꝑ hoc cū Heſſo noſtro aga-
7 tur. Leproſos ſacerdotibus exhiberi, hic ꝑr-
ſus quid dicat neſcit, Nā quid lepra? quid ſa
cerdos ſit? quidue exhibitio illa? qua cōfeſſi-
onem auricularē ſignare nititur, multo mi-
nus intelligit, quam puellus quiſpiā elemen
8 tarius. Claudi cælum a ſacerdotibus aliis,
ait, etiā ſi ipſi nō ingrediātur. Hic queſo te
optime lector cunctare pauliſper, videbis, et
ridebis matæologum, Chriſtus Mat. xxiii
inquit Vę vobis ſcribę & phariſei hypocritę
quia cl auditis regnum cælorum ante homi-
nes, vos enim non intratis, nec aduenien-
tes ſinitis intrare. Ne vero dubitemus diu-
tius, qui ſint iſti ſcribę & phariſei, ꝑaphra
ſticos expōit nobis Riſiñius, affirmans eſſe
ſacerdotes alios, Idq; vera prorſus & certiſſi
ma gloſſa, licet eam neq; hi quibus ille patro
cinatur, neq; ipſe explanator fuerint, vel ab
ipſo Luthero ad miſſuri, tamen ſuis verbis ſe
ſcribas illos & phariſęos hypocritas eſſe,
qui

qui regnum cęlorũ claudãt, neq; ingrediant
sed vę illud expectent a Chr̃o iudice, fatẽ-
tur, exponunt & interpretantur. Nõne vos
omnes, qui sacerdotiũ asseritis tędet, & pu-
det huius patrocinij & expositõis? Me certe
miseret omniũ qui eiusmodi sacerdotes sũt,
quales expositor iste ordinarius expoĩt. At
Hesso non alius fuerat obijciendus, & ex ad
uerso statuendus, qui illũ cũ suis axiomatis
probe vellicaret & calũniaretur, atq; dũ hoc
fieret, insigniter & ipse insaniret, & aliorũ
detegeret iprudentiã, Ita vincit veritas, de-
tegit impietas, Sic suo sorex perit indicio,
Ideoq;, vel ex hoc loco totã theologiã Risi-
nicã animo ęstimare licet, si enim ille locum
Euangelicũ, cõniuentibus vixdum oculis in
spexisset, nõ hanc glossam promulgasset.
Quod decimas nõ vult omitti, facit suum 9
officiũ, nã illis plurimũ timent, sacerdotes
Risinici, neq; aliam crebrius cantilenã can
tat hęc auicula quã titulũ de decimis & cen-
sibus. Deinde de paupertate argute dispu- 10
tat & apposite citat Dauidis exemplũ, piget
certe me huius totius tractationis de paupꝑ-
tate, crediderimq; Risinnio vix ĩ somnijs hęc
vnquã obuenisse. In sũma, quid sit pauper-
tas spiritus plane Christiana nõ intelligit.
Dauid rex etiã semel, & iterum non tantum
spũ pauper, sed exul fuit, & egenus. Quod

addit pro ratione, plane parũ piũ cõmẽtum
est, si quis ita ratiocinetur. Apl'i nõ fuerunt
pauperes spiritu, & ad illos nihil pertinebat
Christi eulogiũ, quo beatos esse pau pes spũ
pronũtiauit, quoniã sub pedes illorũ bona,
vt ea suo arbitratu dispensarent, multi pici-
ebãt. Nõne scito dilẽmate rẽ cõplexus tibi
videbitur talis sophista? Quin toto cęlo er-
rasse iure censebitur, qui ideo Apl'is pauper-
tatem spiritus adimat, quod illis quidã bona
sua per ministeriũ eorum dispensanda ad pe-
des abiecerit. Satius fuerat Anticyrã naui-
gasse, quã talibus impudentibus nugis incly-
tum & christianũ regnũ Polonię & illius pro-
ceres traduxisse, Id eñ est Hessũ calũniari
atq; tam insulsis, & improuidis patronis apo-
logias, & libellos in illum pmittere. Parco
huic Risinio nimio plus, q̃ videã hõinẽ suo
malo, & publicata iã sua inscitia satis adflic-
11 tũ iri. Cũ autẽ Hessũ versat, vt sibi videt
in cribro suo theologico & rhetorico, quam
nihil dicat quod ad rem faciat, tædet me
latius prosequi. Nam nondũ tenet, quid sit
addere verbo dei, quid illud impurare, quid
deniq; interpretari, iam vult magistrũ per-
petuũ ecclesiæ esse spiritũ sanctũ, iam eccle-
siæ suę permittit ius cõdendorũ decretorũ,
idq; appellat cõstructionẽ sup verbo dei tã-
12 quã fundamẽto .&c. Eñuero qui in rebus
tam

tam apertis hallucinatur & sibi non cõstat,
quid mirũ, si & ea, quę putat dissona ad con
cordiam perducere nõ possit. Nempe quod
Christus dicat, de oculo euellendo si scanda
liset &c. odio habendis parentibus &c. de
luce coram hominibus, O lepidum caput &
plane theologicũ, indigna sunt hęc quę plu-
ribus versentur. Tu vide lector quid faciat
cęcitas, nempe tam impie veritatẽ blasphe-
mare, Lippũ Solis clarũ lumen cõuiciis in-
cessere, tenebras lucem accusare, Argum &
Centimanũ fabulosissimos, Christo deo ve
ro opponere. O furor & amentia his sęculis
digna. Sed quid dicã de insigni blasphemia 13
in deũ patrem & Christũ suũ, quę sequit͛ de
altera maxilla offerẽda, Id quod neq; Chri-
stus alicubi pręstitit. Nam primũ Risinnio
apud Caiaphã factum in mentem venerat,
Mox oraculo forte admonitus, Annã adscri
bi iussit, tam belle sibi cõstat Senteciarius
& formatus Theologus, qui Christũ seruato
rem nr̃m vt vnicũ ita certissimũ, suorũ ver-
borum nõ satis tenacẽ ebalbutire impiis la-
biis audet. Tacendũ ne erat Chr̃o? dum de
sua doctrina, de verbo, quod ipse erat, a-
pud impiũ pontificẽ agitur? An is nõ offert
alterã maxillã, qui totũ corpus, quod de pura
virgine accepit, ignominiosissime cruci affi-
gendũ & vulnerandũ tradit? Quam recte

faciat Risinnius, qui ius interpretādi verbū
dei tribuit patribus, vel ex vno Augustino
in epistola ad beatū Hieronymū, que inci-
pit. Iam pridē, satis apparet. Faciat prius Ri
sinnius vt ipsi patres sint inter se cōcordes,
qui tā in multis lapsi, vt cōuenit hominibus
15 nempe mendacibus iuxta verbū dñi. Quę
de Apl'is adscribit, quod statuissent quod p
re & tēpore opportunū videbat' &c. Te per
Chrm obsecro chare lector cōmiserare me-
cum Risinij huius supinā & impiam ignoran
tiam, Atq; actorū .xv. caput, vbi quā vera
sint, quę Risinnius effutit, peruideto.
16 Concludit tandem Euangelij robur & vires
esse ex auctoritate ecclesię. Hic opus esset
Thomistica distinctione, nempe, quod mo-
dis accipiatur ecclesia, quo facilius cognos-
ci possit eius authoritas. Hic Hessus noster
Mydas, & eiusmodi blasphemiarū insolens
auditor. Appello vos omnes, qui nascenti
& iam regnanti verbo dei applauditis, Nū,
vt cum hoc Theologastro diutius aut lōgius
agam, fueritis suasuri unquam? At homi-
nē tolero, non illius causa, sed Christianorū
multorū bonorū in Polonia, qui certissime
tenent, Eam esse ecclesiam, quę verbo dei,
per spiritū sanctum cōgregatur. Ea cū ver-
bum dei agnoscit, illi credit & adheret, quo
q̄so autore id facit? Te ne o Risinni, aut tui
simili

similibus p̃suasoribus? Quis indicat & certificat hoc esse verbum dei? Nonne spiritus sanctus, quem etiam tu perpetuum magistrũ ecclesię, licet iam fere oblitus sis, non multo ante statuebas, Manu telum indico, at nõ dum stringo. At tu manu e tabula summota in scholas spiritus sãcti festina, in quibus ait Christus, De me loquit̃, & de meo accipiet spiritus. Io. 16. En, vnde Euangelio Christi sua authoritas?

DE CHRISTI SVMMO Sacerdotio.

RISINNIVS

Quę de sacerdotio Christi tam argute, vt tibi videtur, disseris, eorsum omnia tendũt, vt doceas missam non esse sacrificiũ, totãq; hanc farraginẽ hoc bellissimo dilemmate cõcludis, alioquin Christũ sępius pati oporteret &c, ac interim ritũ ecclesiæ de vestibus & ceremonijs vellicas. Si nõ verũ est, Hesse, recoli in missa passionẽ dñi, quod Christũ semel vere passum, incõueniens foret mystice iterum atq; iterũ ac sępius pati, minus cõueniens, & minus verũ videri deberet, quod Christus semel verbũ caro factus, iamq; in cœlis sedẽs, iterum atq; iterũ ac sępius fiat vere verbo caro ex pane, & sanguis ex mero, cum ipse testet̃ carnẽ suã vere esse cibũ, & sanguinẽ suũ vere esse potum, & panem

quẽ

quē daturus esset carnē suam esse, corpusq́ quod pro nobis frangeret, ne hoc solum ad passionē referas, hocq́ quod ipse fecit trans mutans panē in carnē, & vinū in sanguinē, præcepit apl'is, & illi demū reliquis faciendū vt scilicet hæc donaria, hæ victimæ forēt, quas Apostolus ait, pōtificem offerre debere pro peccatis, non hircos aut vitulos, vt tu videris velle, cū hoc sacramentū & monumētū dñi victimā esse negas. Possem q̄plurimis ratiōibus, & auctoritatibus tuā hanc vanissimā assertionem conuellere, nisi vnica hæc Augustini sentētia sufficeret. Sic enim de hoc ait sacramento. Iteratur quottidie hæc oblatio, licet Christus semel sit passus, quia quottidie peccamus peccatis, sine q̄bus mortalis infirmitas viuere non pōt, & ideo quia quottidie labimur, Christus pro nobis mystice im̄olatur, & alibi, Corporis & sanguinis Christi sacrificiū, successit omnibus illis sacrificijs veteris testamēti, quæ im̄olabantur in vmbra futuri, & pro illis omnibus Christi corpus offertur, & participantibus ministratur. Addo & Gregorium, nisi hos præ te fūgos existimas, sic enim inquit. Singulariter ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur, quoniā is qui in se surgēs a mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc hosti

am

am in suo mysterio pro nobis iterum immo-
lat. Addo deniq; græcismi tui causa Chry-
sostomū, qui hec in epistolā ad Thimoteū.
Hæc sacra oblatio siue eam Petrus siue Pau
lus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, ea-
dem est quā Christus diuisit suis apostolis,
quam & nunc sacerdos offert &c. Quod au-
tem subdis Hesse in ea cōmemoratōne nō
uestibus, aut ritibus & ceremonijs, sed fide
opus esse, inferre uideris, ecclesiam sine fi-
de id peragere, & solis vestibus & ceremo-
nijs inniti, cū tamen de hoc sacramento assi-
due canat ipa ecclesia, ad firmandū cor syn
cærū sola fides sufficit, & pstet fides supple-
mentū &c. Quare imerito & impie sic illi de
trahis. Nā de vestibus & ceremoniis, vbi ve
titū est in Euāgelio, qui hec fierēt? Certe in
lege veteri, Deus ipe pscribebat, quę de con
structiōe tēpli, q̄ de parādis vasis deq; vesti
tu & alijs ceremonijs sacrificiorū fieri vole-
bat. Quibus quidē Chrus & Apli nō inhæ
rebāt, vt accessorijs, alia quę fundamentū e-
rāt fidei curātes. Sed quū post hac Eccla,
cui preest Chrus, quāq; instruit spūssanctus
hec ad instar veteris legis, quā Chrus nō sol
uere, sed adimple venerat, pio animo, & de-
cētissima ratiōe statuit, tu contēnere & icessere audes? Sed pfricta semel frōs & ebria er
rore mēs, audet oia. Nūc pgo ad rliqua.

Venio ad Christi Sacerdotiũ, de quo, & de testamẽto in corpore & sanguine Christi, vt Risinnius meus pauca sapit, ita paucis cũ illo agam. Dilẽma illud ex Hebreis cap. 9. quod ipe bellissimũ vocat, & quo Hessum cõcludere velle nõ diffidit, Immo multa quę sequũt, Quale est etiã illud ex Io. ca. 6. Quo dixit Christus carnẽ suã vere esse cibũ, & de transmutatõe scholastica ex Camoracẽsi. Et quod Apostolus vspiã ait, hęc donaria & has victimas ꝑ Põtificem ꝓ peccatis offerri debere, nõ hircos aut vitulos &c. Satis supꝗ satis testanť, hõinem in scripturis inexercitatũ esse. Epistolã ad Heb. plane neq; scire neq; intelligere, & vix dũ semel nouũ testamentũ ab Erasmo trãslatũ, legisse, in scholis spiritus Christi nondũ fuisse. Aliquot patrũ sententias, quod pueri e poetis solent & historijs, collegisse, aut aliena suppellectile rẽ familiarẽ auxisse suã, quod patresfamilias negligentes faciũt. Quid multis, Eũ esse plane Risiniũ, id est, gygãteo animo & sensu ac nomine. Re autẽ ipsa nihil quod Gygantẽ scripturarũ deceat, aut eum qui sensũ dñi tenere se arbitrať, posse pręstare. Rhetoricare queso potius Risinni, aut historiã aliquã meditare, donec (quod pręstet Chr̃us) hominẽ animalẽ exuas, & queas spũaliter

de ſpūalibus loqui & diiudicare. Nā quis tā 2
potens qui riſum cōtineret, cū audit Riſinni
um gloriantē de quamplurimis rationibus &
auctoritatibus, quibns Heſſi vt ait vaniſſi-
mā aſſertionē (nempe miſſam nō eſſe ſacrifi
ciū) poſſit cōuellere, Sed vt deludit hiantem
coruū, & mōtes parturiūt, naſciturq; ridicu-
lus mus, credit nūc debellatum, cū ait, quia
quottidie peccatur, ideo & quottidie ſacrifi-
cat. Hęc ſūma verborū quę D. Auguſtino
adſcribit, & neſcio quibus aliis patribus.
Audiſti chare lector patres, acceſſiſti ad pu-
teū Iacob, & ciſternas, quę aquā viuam non
cōtinēt. Audi nunc fontē aquę viue, ſcriptu
ram videlicet Apoſtolicā. Heb. 9. Per ꝓpri
um ſanguinē SEMEL introiuit in ſancta
ETERNA REDEMPTIONE inuēta.
Ecce vt Chriſtus ſacerdos inęternū, ita per-
petuū habet fructū & peccatorū expiationē,
vnica ſui corpis, & nunquā reiterāda victi-
ma. Que ſunt. 1. Pet. 2. & Rho. 6, prudēs
omitto. Animus eī non eſt nunc mihi reſpō
dere ſcripturis, ſed hoc reliquere Heſſo nr̄o,
ſi forte dignus aduerſarius obuenerit. De 3
veſtibus & ceremonijs veteris legis, & quod
eam Chriſtus venit non ſoluere ſed adimple
re, quid queſo in ſomnijs, aut e ſpecu Plato-
nico loquitur miſer? qui neq; legis rationem
norit, neq; quomodo lex impleta ſit teneat?

Immo dignissimus, qui nihil aliud agat quã vestibus veteris legis indutus, ceremonias illius assidue peragat, id est vitulos & hircos offerat, sicq; inclytũ Polonię Regnũ multo pecore abundans, breui pascuis & multo corio locupletet.

DE MATRIMONIO RISINNIVS

1 De matrimonio nõ multis tecum agam. Siquidẽ & de superioribus plura egi præter institutũ, video hic quã viam affectas, & quid te titillat, pindeq; tanti matrimoniũ facis, vt ab illo neminẽ prohiberi debere, tandem
2 post multos logos, cõcludas. Atqui hoc ipsũ tibi cõcedo non grauatim, licet igitur sacerdotibus & monachis vxores ducere? Id equidem tantisp nego, donec quod vota ex professione voluntaria facta infringere liceat, probaueris, Contra illud Vouete & reddite.
3 Assero autẽ cœlibatũ sacerdotũ non modo nõ esse cõtra deũ, vt tu inferre conaris, sed etiam maxime esse ex illius animo, cũ eunuchos, qui se causa regni cœlestis castrãt plurimũ cõmendet, & cũ Ethnici etiã arcerent ab aris cui daret hesterna gaudia nocte Venus, a quibus in matrimonio difficile foret
4 contineri. At obijcies iterum sacerdotũ incõtinentiã, vt hoc tibi donem, cũ semp plurimi sint in omni ordine mali, pauci autem quos ęquus amauit Iuppiter, an ideo ecclesia

non

non recte ſtatuit cœlibatum ſacerdotum, an
ideo perperam medici præcepta de ſanitate
conſeruanda produnt, quod pauci illa obſer
uant, & plurimi tranſgrediunt? O hominem
ſuauem Heſſum. Rectius multo feciſſes mi
Heſſe, vt ad cõcedendũ matrimoniũ, tanq̃ 5
ad maius malum euitandum adduxiſſes, pro
ductũ ex vacca monachum, periculumq; eſſe
niſi vxores cõcederent, ne et parochos iuuẽ
cæ producerẽt, ſed omnino iam plus ſatis te-
cũ garrio, & cũ inſano inſanio, Tu mi lector 6
accipe pro Epilogio cantilenã tempori huic
& rei cõgruentẽ, nugaſq; haſce boni cõſule.

PROSA PASCHALIS.

Victimæ Bacchali laudes immolant
Lutherani. &c.

CACHINNIVS.

Non multis agit, qui de alijs nihil egit, vt 1
concinat capiti cauda, pręſertim cum mul-
tos logos gręcos & titillationes viaſq; adiici
at. De votorum profeſſione, ſi volet cũ Heſ 2
ſo agere rem ſerius tractet, aut ſi malit, priua
tis literis ad eum perſcribat. Non eñ illico
victor fuerit, ſi vouete & reddite cãtare cal-
leat. Ethnicoſq; & poetas inter auxiliares co
pias aſciſcat. Et noſtro ſequitur de vulnere
ſanguis, occinemus ei, quã vt video nondũ

audíit cantílenã, adeoq; ſi ſapiat, non ínſu-
3 auẽ. At illud de Eunuchis ne putes nos con
níuenter legiſſe, ſciens prętereo, quod locum
íllum Mat. 19. De Eunuchorum genere neſ-
ciat neq; quid velít, aut qua ratione explíca
rí debeat cognoſcat. Si mecum eſſet aut íp
ſe totum locum aperírem, ſi modo ꝓ cachin
num líceret, aut cuídam nobílí ſurdo, quo
famíliariter vtor, vel ſaltẽ íuueni cęco, quí
Vratiſlauię in quodam hoſpítalí fouet for-
mandũ traderem. Nam vterq; (quãuis hic lí
teras tota víta non víderit) oculatum illum
meũ Riſinniũ & líteras ſuperbe callentem,
ín his que ad ſanctarũ literarum cognitio-
nẽ ſpectant, poſſet erudíre. Audíres ſane cã
dide lector, multo doctius & chriſtianíus, ꝙ
ſolet Riſinníus de ſacris líterís diſſerere, a-
deo vt auſim, ſingulos illí oppõere. Idq; deí
beneficío, quí ſtulta ſecundũ mundum delí-
4 git vt pudefatíat ſapíentes. De ſacerdotum
ficta cõtinentia & parum caſta caſtitate, ní-
híl eſt quod credas me illí obíicere, res docet
5 & mundus deteſtatur omnis. Porro íocí illí
& ſales de vacca, & monacho, nihil ad Vra-
tiſlauienſes pertinent, neq; ſane alíum quã
gygantem ſcænícum decent. Nam non mo
leſtũ fuit Vratiſlauienſibus, quod vacce mo
nachos gignerent, aut íuuencę Parochos.
Illud vero iníquíus tulerunt, quod vacce pa-
rochianę

rochianę longo iam tempore, non alios fętus quam aliquot Curtiſanos, pecuniarū aucu/ pes, & qui gregem cōmiſſum verbo dei non paſcerent ſed degluberent, ꝓgenuerint. Ve rum de vaccis fortaſſis alias. Perſuadeo eñ mihi, niſi boni quidam hunc aliquo in angu lum detruſerint, paulo poſt iterum garriturū atq́ʒ vt eſt mire facetus, & ſapiens cū inſano ſuo Heſſo, inſanias falſas fabulaturū. Inte/ rim amice lector vale, & Riſinnio ſaniorem mentem precare.

Verum heus tu chare lector! Epilogū certe 6
cū ſua congruente cantilena, & proſa paſca/ li, prudens omiſiſſem, niſi & hic pietatis Ri ſiniane admonendus eſſes. Patronus vete/ ris legis, veſtiūq́ʒ & ceremoniarum Riſinius quantis ſcripturis & rationibus rem eccleſi/ aſticam defenderit, audiſti opinor. Age ta/ lis patronus irridet, ſanctū carmen paſcha le, quia in ſacra receptum, & pias patrū can/ tilenas ludibrio exponit, defenſor ceremo/ niarum. Tempero mihi hoc loco, ne verius quid dicam pro meo officio ex quo Heſſi ax iomata tlī cātico ſeſe ſuppreſſurum riſus iſte in animum induxerit ſuum. O vos miſeri & perpetuis lachrymis deplorandi, qui per pa/ tronos huius farinę, rem veſtram eccleſiaſti cam, confirmare ſtudetis, ſaluamq́ʒ ſpera/ tis, cum illorum conatus, ſtudia & ꝓgreſſus

nihil

nihil sint nisi meri risus cum Risinijs. Pos sem ego quoqꝫ imitari Risinnij exemplum & belle depingere, Stilum risi scribētis & glo/riam risi triumphantis. Sed prorsus absti/neo & modum statuo his nugis & ludicris quod bonorum potius & studiosorum euan/gelicę veritatis in Polonia rationē habeā, quam huius mali & inexercitati patroni & Epilogastri. Neqꝫ sane Hesso aduersus hunc velitem, aut animi robur aut sociorū auxilia desunt. Id quod propitio Christo vnico duce nostro (in quo vno fortes esse & in potentia roboris illius gloriari perpetuo volumus. Nam quos pugnare iubet & supe/rare facit) experietur meus hic Risinnius, nisi aut iustiorem pugnam instruxerit (si ita videbitur) aut exercitatior in harenam des/cenderit, qui etiam me Cachinnium in hāc scenam nō facile produxisset, nisi & Risus Cachinno dignam fabulā plane Risinnice egisset. Adeo vt ꝑ meo in illū Cachinnico offitio omittere non potuerim, quin hac ad/monitione hominem istum ad meliora co/hortarer, & bonos omnes, ne caussas suas in scripturarum sanctarū negotio tali patrono cōmittant pręmonerē, Ea omnia, vt tu opti/me lector in bonam partem (hoc est, eo quo ego hoc scripsi animo) accipias rogo & oro simulqꝫ vt iocūdissime, quisquis es, valeas, opto.

Lach

LACHINNIVS RISINNIO SVO.

Tu fore diuinas, parochos vt forte iuuencæ
Aedant, miraclo prodigioq; nouo.
Quę licet eueniãt, nos hæc nihil omina terrẽt.
Præteritis non sunt æquiparanda malis.
Vidimus Ausonias, sterili quę corpore mulas
Aedere Pastores, ædere Pontifices.

A L I V D

Rarus adhuc Hessi lustrarat Sarmata librum.
Lustrandi liuor prębuit ipse viam.
Dum confutat enim spectandũ exponit vbiq;.
I nunc atq; illum semper obesse puta.

MICHAEL PANACEAS PRO HVTTENO, QVEM RISINNIVS STRATIOTICVM APELLAVIT.

Non sat erat viuos petulanti inuadere lingua
Risini, arctois fama inficianda Polonis
Ore spuẽs tetro Lernee virus Echidnę.
Quinecia iustos lacerares perfide manes.
Quę tamẽ Eumeides Huttenũ excire sepultũ
Fatali suasere vrna, cineresq; repostos
Exturbare, altam siue inuidisse quietem?
Si supparet eñ, neq; adhuc trãsuectus auerni
Lintre Charontea, piceos venisset ad amnes
Designatus in elysium migrare colonus:

Non ignaue illum sic arripuisse liceret.
Nec caput auderes dubię cōmittere pugnæ,
Omnibus ingenij, vel corporis omnibus impar
Viribus, huic Alcidę hūilis vix p̄da venires.
Sentires stratiotā Huttenū, & nominis illud
Dedecus obiectū merito fortasse piares
Supplicio: quāuis non hoc cognomine labem,
Non ignominiā, nec stigma īpresseris atrū.
Quin tu si sapias grauolēcia stagna cauebis
Tangere Trinacrię Camarinę, ne tibi pestem
Accersas proprio studio, neu forte fauillam
Succēdas quondā flāma crepitante futurā.
Ex tot amicorū consurget millibus vnus,
Nasceturue aliquis Hutteni ex ossibus vltor
Qui tibi Nonacrio, exuuias deturbet asello
Furtiuas, Libici tegmētū im̄ane leonis.

ERRATA

A j incessendiq;. linea .4.
A 3 aufferri. linea .20.
A 4 libertatem. linea vltima.
B 2 dispensarent. linea .6.
B 4 loquetur. linea .8.
C j Cameracensi. linea .9.

VRATISLAVIAE APVD CASPAREM LYBISCH. ANNO M. D. XXIIII.

